



Tom III
Mijakaneop Philoby.

[Faint handwritten signature or initials]



92. 49

Clavitate, Excellentia, Experimentia, Prudentia

Dr. JOHANNI NESTERO Medico Do-
ctore, Præfice & Physico Præf. D. R. C. R. C. R. C.

Conditore Solis Fortunante

ΣΚΕΨΙΝ

MACULARUM

SOLARIUM

M. CHRISTIAN. FRIDERICUS

Frankenstein Lips. SS. Theol. Studiosus.

ET
DONATUS ROLLIIUS TORGENSIS,

Philosophia Baccalaureus.

Inclyto in Inclytâ Philurêâ Philosophorum Collegio

approbante,

Ad Idus Majas

In Auditorio Majori, Horis matutinis

Placidæ Disquisitioni subicient.



LIPSIAE,

Typis Hered. FRIDERICI LANCKISCH.

ANNO M.DC. XLI.



V I R O

*Claritate, Excellentia, Experientia, Prudentia,
eminentissimo*

Dn. JOHANNI NESTERO, Medic. Do-
ctori, Practico & Physico Provin. Diac. Rochlitz.
ut & Lycei Grimmensis celeberrimo ac felicissimo
Co. P. Cæs. ac Reipubl. Rochlitianæ Consuli dignis-
simo, Fautori, Promotori ac Mecænati suo omni ho-
noris & observantiæ studio suspiciendo.

ut &

V I R O

Multum Reverendo, Clarissimo atq; Eximio,

Dn. M. FRIDERICO SCULTETO,
Ecclesiæ, quæ Torgæ est, Diacono ut dignissimo
ita fidelissimo, Affini, ^{suo auct.} ac Evergetæ suo Pa-
tris loco honorando.

*ingrati animi, debitaq; Observantiæ
Symbolum*

*Disputationem hanc
offert*

Donatus Rollius.



Præloqviū.

Natura rerum sacra sua non simul tradit, sed ut Eleusis servat quod ostendat revisentibus, *Teste Seneca*. ita, fas sit hanc uti comparatione, nihil frustra permittit gentis humanæ supremus Conditor, sed veluti prudens promus condus operum suorum penetralia successivè generi nostro referat, & hanc universitatem hominum ceu quendam succrescentem & paulatim maturescentem puerulum ab aliis ad alia cognoscenda sensim ducit, *ut in Disfert. cum nunc. sider. Galil. Keplerus* philosophatur. Sic post ignoratum Planetarum à fixis discrimen & demum à *Pythagorâ* detectum, eundem esse Hesperum & Luciferum *Parmenides* animadvertit. Sic Antipodas pleriq; crediderunt, multi etiam negârunt, *Columbus* Litem inventionem Novi Orbis diremit. Sic Lunam Terreum aut Terræ cognatum corpus esse, jam olim *Pythagoras* animadverterat, & propterea *αὐτὴ γῆ* eam vocaverat, *Galileus* optubi sui adjutus oculis exposuit. Sic Solis circa axem proprium vertiginem jam dum *Keplerus* asseruerat *in Commentarijs Martis cap. 34.* cum eandem ex observato macularū Solarium motu oculis quoq; observavit idem ille Illustrissimus Uraniæ & Naturæ Mystra *Galileus*. Cui profectò Viro multum imò plurimum debent omnes, quotquot sunt aut futuri sunt, scientiarum Candidati, si modò ullos sera posteritas inveniet. Nam & bellorum turbine, Harpyjarumq; militarium rapinis placida Musarum otia perturbantur, & deformantur, & quod hujus nostræ ætatis penè proprium est, eò vilitatis scientiæ devenerunt, ut mercenariæ sint omnes, & non nisi ab utilitate commendentur, præstantissimaq; judicetur illa, quæ, liceat vulgatâ phrasi uti, magis est de pane lucrando, aut, ut Græci ajunt, *περὶ τὴν ἀλφίταιν*. Quamquam jamdiu est, quum opes de summâ sede depulere Sapientiam, Queritur id *Ovidius*:

Aurea nunc verè sunt secula: plurimus Auro

Venit honos; auro conciliatur amor.

Ipsæ licet Musis venias comitatus Homere

Si nihil attuleris, ibis Homere forâs.

A 2

Tantò

Tantò magis præstat nescio quid quam ingenia fricare, ait
Arbiter. Quamquam meherclè pessimo Exemplo, & nisi me ani-
 mus fallit, in perniciem omnis humanioris literaturæ. Hinc enim
 adeò fit, ut nemo in posterum discat, ut bonus aut doctus, sed ut di-
 ves inde evadat eamq; præcipuè disciplinam excolat, quæ plus lu-
 cri afferre potest. Quod si usquam verum est, ut sanè est, in Astrono-
 miâ longè est verissimum. Quæ quod parum ad farinam faciat, spre-
 ta & contempta vulgò relinquitur, & jaceret planè, nisi Astrologia,
 lucrosior aliquantulum, paucillum sumtùs suppeditaret, adeoq;
 quod *Keplerus* habet in *Præfatione Rudolphinarum*, Stulta filia pau-
 perculam sed sapientissimam aleret Matrem, quæstu non æquè o-
 mnibus probato. Quamobrem rectissimè in eam competere arbi-
 tror illud *Arbitri*: Nescio quo pacto bonæ mentis soror est pauper-
 tas. Quamquam aliàs sive sublimitatem Astronomiæ, sive jucun-
 ditatem spectes, nulli ea disciplinarum quicquam concedit. Quibus
 ejus virtutibus allecti si & nos aliquid moliri satagemus, veniam in
 parato futuram confidimus. Animus in pectoribus hoc jubebat, cui
 idem est cognitio, quod cibus corpori. Ideoq; Macularum Solarium
 Naturam rudi penicillo hîc adumbratum ibimus: Vel eam solam
 ob causam, quod systemati mundi Copernicéo confirmando stabi-
 liendoq; non parùm faciant. Faxit Sol Justitiæ Labe omni carens,
 ut id fiat

Feliciter!

THEOREMA I.

*Maculas Solares primus, quod sciam, dete-
 xit Galileus, tubi dioptrici adjutus auxilio.*

Vir profectò, quòd antea quoq; dictum summi & acutissi-
 mi Judicij, bonoq; Astronomiæ natus. Cui propterea non possum
 quin apponam illud *Ovidij Lib. 1. Fast.*

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primis,

Inq; domos superas scandere cura fuit:

Credibile est illos pariter vitiisq;, jocisq;

Altiùs humanis exeruisse caput.

Non Venus aut Vinum sublimia pectora fregit,

Officiùmq; fori, militiæve labor.

Nec



Nec levis ambitio, perfusaq; gloria fucō,
Magnarumq; fames sollicitavit opum.
Admovêre oculis distantia sidera nostris,
Ætheraq; ingenio supponere suo.

Hic inquam post inventas Joviales Lunulas, asseritamq; Lu-
næ superficiem asperam cum felicissimè inventum Telescopium in
Solem quoq; direxisset, maculas hæc primus observavit Anno
1610. (ut ipsemet in præclarissimo de Systemate Mundi opere
testatur,) antiquis hæc quidem formâ penitus ignotas, sed pro Mer-
curio Solem subtercurrente sæpius habitas & venditatas, (quo pa-
cto ipsi quoq; *Keplero* impositum est, ut videre est *ex ejus hæc de re edi-
to Tractatu*) nosq; per illas de multis in Cælo rebus veriùs sentire
& rectius philosophari docuit.

THEOREMA II.

*Hæ maculae, quid non sint, faciliùs liquet,
quàm quid sint. Non sunt vel aëris vel oculi vel
Telescopij ejusq; Crystallorum illusiones.*

Quod de rebus cœlestibus omnibus affirmat *Aristoteles*, de
ijs ob nimiam earum distantiam accuratè tractari non posse, id et-
iam de his maculis verissimè asseri potest, quæ quò ab oculis nostris
remotiores existunt, eò difficiliùs est atq; arduum magis, certi ac
explorati quidquam de illis pronunciare aut statuere. Non enim
fieri potest, quin aut Veritati, quod absit, aut tot jam ab annis com-
muniter receptæ de ingenerabilitate & incorruptibilitate Cœli
ejusq; partium opinioni contradicamus. Suspenso itaq; gradu ince-
demus per hanc semitam, & principio dicemus, hæ maculae quid non
sint, deinde etiam ut *si* exquiramus, allaborabimus. Statui-
mus itaq; eas nec Telescopij, nec oculi, nec aëris illusionibus im-
putandas transcribendasve esse. Telescopium quod attinet, illius
equidem Crystallis eas ut vitium transcriptum iriâ multis & præ-
cipuè puris Peripateticis jam ante *Galileus* præviderat, antequam
quidquam de ijs vulgaret. Sed haut rectè: Siquidem quòd in tubo
vitium esse potest, id in uno unum semper est, idemq; In diversis
diversum. Contrarium in hisce maculis accidit, quæ & ab eodem
& à diversis tubis eadem in debitâ ad se invicem distantia referuntur.

A 3

Quòd



Quod si successu temporis quidquam mutatum repræsentet tubo-
 rum aliquis, id consequenter faciunt & cæteri omnes. Taceo quod,
 si ex tubi vitio provenirent, ad motum tubi simul transferrentur.
 Sed oculi contemplantis vitium subesse fortean opinetur aliquis,
 qualia multa ex turbatis aut vitiatis ejus humoribus evenire cerni-
 mus, quæ tamen ratio locum hîc habere & ipsa non potest, cum
 continuæ mutationi hujusmodi phænomena subjiciantur diverso-
 rumq; oculis diversa appareant. Sic quibus humor aqueus turbatus
 est, undantes in Sole Zonas, muscasvè aut stillicidium quoddam a-
 nimadvertunt, quæ tamen apparentiæ tranquillato iterum humore
 & ipsæ evanescunt. Imò alia oculo dextro apparent, alia sinistro,
 remanentibus interim situmq; suum obtinentibus maculis, quæ
 propterea oculorum deceptioni imputari itidem non possunt. Ter-
 tium circa maculas hasce errorem inducere posset mediis inter nos,
 & Solem posita æris nimirum varia temperies, quod tamen vim su-
 am non nisi in colorandis aut tremefaciendis vel etiam planè obte-
 gendis Sole & maculis exerere potest, & solet. Omnia hæc macula-
 rum reali existentia nihil derogant. Nam etsi à crassis vaporibus
 obtegantur, etsi per nubes tenuiores nigriores appareant, etsi itidem
 motis vaporibus tremebundæ reddantur, mox tamen iisdem tran-
 quillatis in locum suum redeunt. Et huic vaporum fluctuationi a-
 scribendum etiam videtur, quod peripheria Solis nonnullis per tu-
 bum lacunosa aut radiosa apparuerit. Vaporibus enim rursus qui-
 escentibus extemplò restituitur. Itaq; concludimus nulli visus de-
 ceptioni transcribendas esse maculas, sed reverâ existere. Quod si
 quis forsan existimet, in aère eas realiter existere, & sub globo Solis
 diurno motu unâ circumire, cum & parallaxeos ratio, cum eadem
 in eodem situ in distitis locis v. g. Italiâ & Germaniâ appareant, &
 ordinati regularisq; motus constantia facile confutabit.

THEOREMA III.

*Macule Solares non sunt Stelle, aut similia
 Corpora cœlestia perpetua permanentia.*

Nonnulli inter quos *apelles* quoq; fuit, in eâ sunt opinione, macu-
 las hasce esse partes Cœli sui densiores & opacas, Lunæ nostræ assi-
 milantes, quæ in obversâ Soli parte illustratæ aversamq; & obscurâ
 nobis

nobis exhibentes ejusmodi in Sole Eclipsationes causentur. In quam sententiam inter alios *W. ndelinus* quoque inclinare videtur, sed falso Refragatur enim Experientia. Etenim quod in sequenti Theoremate ulterius declarabimus, continuè generantur & dissolvuntur, dum quædam eaque satis magnæ in medio disci Solaris subito exoriuntur. quædam rursus sat repente diurno nimirum circiter spatio, in medio cursu deficient & disparent. Adde quod Sidera omnia quantum quidem huc usque indagantibus patuit, si non exactissimam affectatam tamen habeant rotunditatem, cum tamen ut postea dicemus. macularum paucissimæ rotundæ sint, sed quiddam diffusum exiguæ profunditatis, & ut plurimum in insolitas atque admirabiles figuras abeant. Præterea solus globus hanc habet proprietatem, ut ex quocunque loco aspiciatur, integer appareat, cum maculæ circa oras disci solaris exiguæ cernantur, in medio autem se diducant & quasi plenam Majestatem qualesque revera sunt conspiciendas exhibeant. Taceo jam, quod si Stellæ essent eas jam aliquoties contra quam factum redire oportuisset. Sed hoc Theorema melius explicabitur per sequens.

THEOREMA IV.

Maculæ Solares sunt materie sui generis, Solis contiguæ Corpori, ac nostris nubibus ac nebulis oppido similes, cum formæ & effectus, tum ortus & interitus, nec non motus figuræ ac lociratione.

Magnum primam frontem Paradoxon videbitur lectori, quod hic proponimus: Sed quod apud rerum intelligentes, remque accuratiori judicij lance pensitantes fidem & assensum jam dudum inveniunt. Ideoque id paulisper dilatabimus similitudinisque inter nostras nubes & Solares maculas rationem paucis proponemus. Et quidem, quod eam quæ in formam & effectu conspicitur, Analogiam attinet; In confesso est, nubes nebulasque caliginosas apparere eminens intuitibus, & hoc pacto presentiam suam certas partes de superficie Terræ abscondere, discessu retere iterum: Pari ratione maculæ in Sole apparent instar notarum nigricantium, quibus iterum discussis, partes antea tectæ in Sole rursus emicant, & quasi hinc inde sparsæ flammulæ conspiciuntur. Convenientiam in ortu & interitu quod concernit, itidem manifestum est, quemadmodum nubes continuè generantur.



nerantur & dissolvuntur, & aliæ quidem exoriuntur, & paulatim incrementa capiunt, aliæ rursus decrefcunt & tandem evanescunt, aliæ derepentè oriuntur & occidunt: ita maculas Solares quoque in medio Solaris disci procul à circumferentiâ subito exoriri, contraq; alias in medio quasi cursu deficere, evidenti Argumento, generari illas & dissolvi. Secus enim si tantum per localem motum ibi comparerent, cunctæ per extremas Solis oras intrare conspicerentur & egredi, cum tamen deficient aliquæ, antequam ad extremum Solis marginem perveniant contraq; emergant aliæ nunquam ingressæ per marginem alterum. Motus & figuræ similitudo inde elucescit, quod sicuti nubes motu vagabundo cidentur & erratico, & hæc occasione sæpenumerò mirabiles induunt figuras, ita macularum multæ jam simul accumulantur, jam iterum disgregantur, nonnullæ in plures partes dividuntur, & ut plurimum in insolitas & inconstantes figuras abeunt. Loci tandem ratione cum nebulis & nubibus in hoc conveniunt, quod ut nubes Teræ sunt proximæ, adeò ut quandoq; eam planè contingant; Ad eundem modum aut planè contiguæ sunt, aut proximè distant à superficie Solaris Corporis sive globi Solis hæc maculæ, id quod partim ex motu, partim ex mutatione figuræ apparet. Nam & velocior est ille circà medias Solaris disci partes, quam circa peripheriam, & hæc compressa admodum & reducta sursum circà oras, spaciola & larga in medio, eò quod hic directè, illic obliquè visui objiciantur, & per consequens hic totam suam latitudinem, illic diminutam oculis ingerant, quorum tamen neutrum, si longo à Sole intervallo distarent, accideret.

THEOREMA V.

Maculæ Solares duplici cidentur motu, uno irregulari, vagabundo & inconstanti, de quo jam actum, altero constanti, regulari & ordinato, qui menstruo plus minus spatium absolvitur.

Habent enim præter vagabundum illum & erraticum motum quem à successivâ generatione & dissolutione provenire diximus, alium multò regulariorem & constantiorem, quo scilicet per discum Solis incurvatis, nec nisi bis in anno rectis lineis transeunt. Satis cæteroquin constantem cum in qualitate, tum in quantitate nisi quantum

tum ab accidentario quarundam macularum motu turbatur; in qualitate quidem, quia semper circa oras disci Solaris tardior, circa medias partes velocior apparet, & semper in hac anni parte rectam, in alteram curvam lineam, cujus convexitas jam ad superiorem jam inferiorem disci Solaris partem tendat, describit. In quantitate autem, quod semper 13 aut 14. dierum spatio transitus hic absolvetur, & ita menstruo quasi spatio perficiatur. Unde nova macularum cum nostrarum nubibus comparatio exurgit, quod ut illae extra Terram longè supra vel infra illas constituto oculo dupliciter moveri viderentur, semel quidem regulariter & ordinatè sub Terræ visibili disco, duodecim horarum spatio Terræ vertigine seu motu diurno ob Terrestri Naturæ cognationem abreptæ, & sic per unam oram ingressæ exirent per alteram lineis ad æquatore parallelis, deinde inordinatè & irregulariter pro ut à ventis aut similibus accidentibus perturbarentur, & nunc contractæ, nunc iterum divulsæ apparerent, non abrupto interim sed tantum leviter in suis partibus perturbato ordinario motu: Non secus & maculæ duplicem hujusmodi motum præ se ferunt, statum & ordinarium unum, à vertigine solaris Corporis, ut mox sequetur, proveniente, alterum mutabilem & accidentarium ex continuâ generatione & dissolutione ortum.

THEOREMA VI.

Macularum motus ordinarius Solis circa axem proprium Vertiginem evincit.

Existunt enim hæ maculæ aut in ipsâ Solaris Corporis superficie, aut proximè circa ipsam volvuntur. Superficie si adherent, necessariò movebitur Sol & eas unâ circumferet: Et sic habemus intentum. Sin verò aliquanto spatio à Sole distant, aut à se movebuntur aut à Sole. A se moveri nequeunt, unde enim haberent illum motum. Moventur itaq; à Sole & cum Sole, Solis vertigine ob Solaris naturæ cognationem abreptæ simili ratione, quæ & nubes nostræ Terram non propriâ vi, sed terrestri circumgyratione impulsæ circumveniunt. Movetur autem Sol non circa ipsius Eclipticæ axem, sed circa axem ad Eclipticum aliquantisper inclinatum, quæ ratione

B

THEO.



THEOREMA VII.

Sol motu suo circa axem proprium, ad axem Eclipticæ inclinatum, ex macularum motu deprehenso, probabilissimum & tantum non certum Argumentum ad motum Terræ in Orbe annuo concludendum suppeditat.

Nam & Transitus macularum bis tantummodò in anno per lineam rectam factus apparet, & omnibus temporibus aliis per arcus sensibilibiter incurvatos incedit, & curvitas horum arcuum per unam anni medietatem contrario, quam in alterâ anni parte, modo inclinatur, dum per sex menses convexum arcuum versus superiorum disci Solaris partem & per alteros sex menses versus inferiorè existit. Præterea quando maculæ incipiunt apparere oculo in parte sinistrâ, & disparent in dextrâ, termini apparitionum per semestre inferiores sunt terminis occultationum, & per alterum semestre superiores, & per duos tantum modo anni dies in æquilibrio constituti existunt hi termini, post quos inclinatio transitus tamdiu augetur, donec per tres menses ad summam obliquitatem perveniat, ex quo loco diminui rursus & ad æquilibrio reverti incipit. Et quod præcipuè mireris, maximæ obliquitatis dies illi ipsi sunt, qui & facti per lineam rectam transitus, & quibus diebus in æquilibrio sunt constituti ortus & occasus termini, iisdem arcus transitus maximè incurvatus est, quoq; magis decrescit horumce terminorum obliquitas, eò magis transitus curvitas accrescit. Ratio harum apparentiarum etsi absq; schematis delineatione explicari vix ac ne vix quidem potest, tentabimus tamen, & pro virili eam enodabimus. Supposito itaq; Solem constitutum in centro ipsius Eclipticæ rotari circa axem non quidem Eclipticæ, qui est axis motus Terræ annui, sed circa alium inclinatum paulisper inclinatione constanti & directione verso eadem firmamenti puncta perpetuâ; si contingat, Terram nosq; eij incolas in tali Eclipticæ loco versari, in quo circulus hamisphærii Solis nobis apparens à latente determinans (quem cum Galileo terminatorem vocabimus,) transeat non tantum per Polos Eclipticæ, sed etiam per Polos conversionis Solaris, tunc circuli, quem transitus alicujus maculæ describit, Diameter rectus erit ad axem conversionis,

nis,



nis, & arcus descriptus ex directo nostro objicietur visui, & propter
eā linea recta esse videbitur. Jam si Terra sex mensibus peragrata or-
bis magni medietate veniat in locum priori oppositum, ita ut hæmi-
sphærium Solis apparens eodem terminatore claudatur, quo prius,
manifestum est. itidem apparitura esse recta macularum itinera. Sed
cum hoc fieri nisi terminatore per Polos Eclipticæ simul & conver-
sionis Solaris transeunte non possit; ille autem indies ob motum
Terræ annum mutetur, necessariò quoq; ejus per Polos conversio-
nis Solaris transitus, & per consequens iter maculæ rectū mutabitur.
Unde quoq; liquet, si fingamus macularum iter jam inferius & à si-
nistrà incipere ac ascendere versus dextram, futurum esse ut Terrā
in parte diametraliter oppositā existente macularum motus itidem
incipiant à sinistrā, sed jam non amplius ascendant sed descendant
versus dextram partem. Quod si jam Terram per quadrantem sui or-
bis promoveamus ulterius, ita ut planum Meridiani observatoris
non tantum per axem Eclipticæ, per quem etiā terminator trā-
sit, sed etiam per axem & Polos conversionis Solaris transeat, incli-
nabitur Polorum alter versus nos, & ira ductus conversionis & per
consequens maculæ transitus non amplius rectam nobis signabit
lineam, sed incurvatam curvitate omnium totius semestris maxi-
mā, quæ si jam versus inferiorē, in altero & opposito orbis annui lo-
co versus superiorem disci solaris partem excurret. Quod si Poli isti
conversionis Solaris neq; in Terminatore, neq; etiam in plano Me-
ridiani inveniantur, incurvatum quidem erit maculæ iter, minore
tamen, quam cum in Meridianum cadunt poli, curvitate. Et his ri-
tè perceptis nullo negotio intelligitur, omnes in apparentibus ma-
cularum transitibus diversitates ex eo nasci, quia Solarium hæmi-
sphærium terminator vel per ipsos Polos conversionis Solaris tran-
seat, vel ab illis magis minusve distet, ita ut quanto Poli à terminato-
re remotiores existunt, eò transitus magis incurvati sunt & minus
obliqui, unde in Meridianum incidentes, quæ est elongatio eorum à
terminatore maxima, curvitem summam reddunt. obliquitatem
minimam & ad æquilibrium reductam, cum è contrā in terminato-
re obliquitatem maximam faciant, curvitem nullam, à quo termi-
natore quò magis recedunt, eò magis decrescit obliquitas, increscit
curvitas. Et hæc sunt, quæ pro motu annuo Terræ stabiliendo Sol
Argumenta præbet, Quæ si quis fortean existimet, per motum Solis
annuum



annuum eodem modo salvari & defendi posse, is velim perpendat, quam absurdum sit, & incongruum. uni corpori Solarī quatuor diversos attribuere motūs, unum circā axem conversionis in seipsum, alterum quo idem ille conversionis axis circā alium Eclipticæ parallelum annuo tempore tanto radio, quanta est inclinatio axis conversionis ad axem Eclipticæ convertatur, tertium quo Sol annuo motu Terram circumveniens Eclipticam describat, & quartum, quo spiras vel parallelos æquatoris vulgò dictos singulis diebus formet, quibus tamen omnibus apparentiis simplicissimi Solis & Terræ motus sufficere possunt. Atq; hæc fuere, quæ ex Galileo, Keplero, Apelle & L. Philippo Miillero P. P. de hæc Materiâ per ingeniosi nostri tenuitatem commentari licuit; Quam rationem si quis fortè improbet, tuebimur nos illo Lipsi: ut ex fonte quod haurimus, nostrum est, quisq; tamen suo vase, sic ex communibus illis Scriptoribus, sed quisq; pro sui iudicii modo. Nunc si ad salivam æqui lectoris hæc qualiacunq; fuerint, est equidem quod gratulemur nobis, si minus, æquus Lector cogitet hoc ipsum miserimi laboris impositū esse mortalitati, ut rerum causas sollicitè inquirentes vix umbras inveniunt. Quapropter si & nos à vero quandoq; quæ est ingenii hūani imbecillitas aberravimus, & pro Junone umbram amplexati fuim⁹, veniam à candidis & humanæ sibi sortis consciis haut difficilem speramus. Confidimus interim, futurum esse tempus quo sublimiorib⁹, quam humanæ sunt, contemplationibus illuminati mentem clarā & illā, quā nunc obfuscatur, caligine liberatam obtinebimus. Quod ut feliciter eveniat, est quod à Praeside & Directore cogitationum nostrarum Deo rogemus. Interim uberius gratiā sequentia adjicimus

EMBLEMATA.

- | | |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. Sol Centrum est universi.</p> <p>2. Binarius Corporum regularium numerum absolvit.</p> <p>3. Cometarum nullum in sublunari regione existere opinamur.</p> <p>4. De certâ facie cæli infans participat.</p> <p>5. Lux non est forma Astrorum substantialis.</p> <p>6. Experimenta Terræ motui diurno vulgò objici solita, quæ in Terrâ fieri possunt, omnia sunt insufficientia.</p> | <p>7. ἀνὴρ ὁ Φεύγων καὶ πάλιν μαχίσεται, certo tamen respectu mors viro forti præoptanda.</p> <p>8. Vivens semper nutritur.</p> <p>9. Simile non agit in simile.</p> <p>10. Omnis actio cum contactu est.</p> <p>11. Pedites ferius sed plerumq; certius vincunt, ideoq; in bello præferendi.</p> <p>12. Non omnis actio bona eius finis bonus est.</p> |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

Δόξα τῷ Θεῷ.



01 A 6640

ULB Halle 3
003 108 309




Sb.

VD 17







46

Dr. JOHANN

Dr. JOHANN

Dr. JOHANN

Dr. JOHANN

MUM

RICUS

profus.

ENSIS

Collegio

tinis

✻ ✻ ✻ ✻ ✻

ISCH.